

tum de Yghenhusen militem eiusdem ordinis non in sacris ordinibus constitutum, intitulatum commendatorem dicte capelle Wytersen, qui eidem domui prefuit et eam solitus est gubernare et ibidem solus existere absque fratribus, ipsiusque procuratores, negociorum gestores et familiares, si qui essent, necnon Conradum in Lode, Heinricum in Dankerdesen et Dechardum in Vrylde parochialium ecclesiarum circa dimidiam leucam ab ipsa capella distancium rectores, in quorum parochiarum limitibus nonnulla ipsius capelle bona consistunt, eosdemque fratrem Albertum et quendam Iohannem Richardinch servitorem suum ac ipsos rectores singillatim singulariter singulos mediantibus ipsorum prestitis iuramentis super premissis presente Iohanne notario infrascripto diligenter examinavi. Quiquidem frater Albertus interrogatus, qualiter et quomodo prefate capelle preesset et eam gubernaret, respondit medio suo iuramento eam habere et se tenere a superiore suo in locatione seu arrendacione et nomine annue pensionis pro summa videlicet quatuordecim marcarum argenti puri per eum annis singulis de ipsa danda et solvenda. Interrogatus autem de fructibus, redditibus et proventibus annuis dicte capelle et de oneribus supportandis respondit, quod omnibus computatis tam in frumento quam pecunia et aliis extenderent se annuatim communi et equo taxu ad centum et decem florenos auri, et quod olim ultra id consueverint valere circa novem vel X florenos. De oneribus supportandis respondit se tenere dare et solvere, ut prefertur, superiori suo nomine annue pensionis XIII marcas argenti puri extendentes se ad septuaginta florenos auri computando quamlibet marcam pro quinque florenos, et cum hoc certis personis pro usufructu annuatim in pecunia et frumento extendente se ad XIII florenos, et cum hoc eciam capitulo ecclesie Mindensis nomine perpetue pensionis sive emphiteosis singulis annis in frumento extendente se ad valorem quinque florenorum preter expensas familiaribus et servitoribus suis dandas et ministrandas. Interrogatus pro quantis summis et quantitativibus pecunie ad francos seu florenos auri reducende huiusmodi fructus, redditus et proventus possent annis singulis locari sive arrendari seu ad firmam dari, respondit, quod nec antea nec de presenti possent pro ulteriori summa locari sive arrendari, quam prout sibi, ut prefertur, sunt arrendati. Interrogatus autem de aliis fratribus et militibus predicte capelle, et si plures ibidem et quot consueverint esse, respondit se recordari plures ibidem fuisse fratres, sed quot nesciret, et ipsum aliquamdiu et de presenti solum fuisse et esse de fratribus ibidem. Interrogatus, utrum capella predicta fundata sit ad plures fratres, dixit se ignorare. Interrogatus vero, si aliquem haberet provisorem seu